












DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE JUREJURANDO.

QUAM,

ANNUENTE DIVINO NUMINE,

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JACOBI TRIGLANDII, I.F.I.N.
SS. THEOL. DOCT. ET IN ACAD. LUGD.
BAT. PROFESSORIS, ECCLESIÆ
IBIDEM PASTORIS,

NEC NON

Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Celeberrimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in utroque Jure Honoribus, & Privilegiis, ritè, ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit.

ANTONIUS BEECKMAN, Neomagensis.

Ad diem 23. Januarii, hora locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. M DCC.





DISPUTATIO JURIDICA, INAUGURALIS, DE JUREJURANDO.

CAPUT PRIMUM.



UM constet, Legislatorem præcipuam semper adhibuisse operam, ut salutaris concordia in Rep. vigeret, & Cives uno veluti spiritu cohærerent, nihil autem Civium consensum magis turbet, quam litium frequentia ac multitudo, (quarum origo & causa hæc in primis erat, quod deficiente plena probatione lites indecisæ trahebantur vel rei liberabantur, & sic fidem hominum eludentes actores actione frustrabantur) huic malo remedium adhibuisse fertur Rex Numa, apud *Dionis. lib.* 2. *Extrem.* quod est Jurisjurandi Usus, quo (tanquam ultimum inter mortales tuendæ veritatis

ritatis præsidium) deficientibus aliis probationum generibus, vel ex pactione ipsorum litigantium, vel ex auctoritate Judicis, deciduntur controversiæ. *l. maximum* 1. *D. h. t.* Cum hæc materia antiquis temporibus fuerit frequens, nostris quoque magnam utilitatem usumque in foro præbeat, haud abs re fore puto, eam pro ingenii viribus pertractare; sed cum juri operam daturum prius nosse oporteat, unde nomen descendat *l. juri* 1. *pr. D. de just. & jur.* à vocis origine auspicabimur.

Dicitur autem Jusjurandum, ut placet quibusdam, à *juro*, quod proprie significare indicant *promitto me adhibitis testibus ita servaturum ac si jus esset*; *Cujacius* vero dici putat *quasi jus sacratum. Parat. in lib.* 4. *C. Tit.* 1. Huc respicit illud *Virgil. lib.* 2. *Æneid. v.* 157.

Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.

Nec rejiciendum etymon Auleji, qui formatam *Jurisjurandi* vocem ait quasi *Jovis jurandum. in lib. de Deo Socrat.* Vid. & apud *Cic.* 3. *offic.*

Fides alma, apta pennis, jurandum Jovis.

Definitur Jusjurandum *affirmatio religiosa. Cic. lib.* 3. *Offic. religionem* vocat *Connan. lib.* 1. *Tacitam eam cogitationem, qua in animo suo quisque Deum colit ac veneratur*; apud veteres vero significabat *metum Divini Numinis l. quæ sub conditione* 8. *D. de Condit. instit.* Plenius, quod sit *affirmatio, quæ fit cum invocatione Divini nominis in veritatis testimonium, & execrationem sui ipsius, si quis sciens fallat.* Ex hac definitione duæ apparent partes, *altera*, qua Deum invocamus tanquam testem, nos ex imis cordis penetralibus vera dicere, *altera*, qua perjurii pænam vindictamque Dei in nos expetimus, si scientes fallamus: huc pertinet illud *Ovidii lib.* 3. *de Art. Amand. vers.* 449.

Parcite Cecropides Juranti credere Theseo;
Quos faciet testes, fecit & ante Deos.

Juramentum diversis fiebat modis apud Romanos, de quibus postea dicemus; sed videamus an jurare licitum sit Christianis? quod negant quidam, inter quos in primis Anabaptistæ, nitentes dicto Salvatoris *Matthai* 5. *vers.* 34. *ego autem dico vobis, ne jurate omnino.* Verum sciendum est, Salvatorem ibi non abso-

absolute prohibere jurisjurandi usum; sed temeraria juramenta, quibus nomen Dei sine ulla necessitate usurpatur temere *Exod.* 20. *vers.* 7. præterea, hanc Anabaptistarum opinionem esse quam maxime erroneam ac falsam, multis sacrarum literarum testimoniis, sanctorumque insuper virorum exemplis probari ac digito monstrari potest, tam ex Veteri quam Novo Testamento: Dicitur enim *Deuter.* 6. *vers.* 13. *per nomen Dei tui jurabis*, & *Exod.* 22. *vers.* 11. *Juramentum Jehovæ esto inter utrosque, quo se purget redemptor, si non extendit manum suam in rem proximi: quod ubi acceperit dominus rei, ille ne rependito.* Legitur etiam quod Abrahamus aliique Sancti Viri juraverint *Genes.* 21. *vers.* 23. 24. & 31. 1. *Samuel.* 20. *vers.* 23. & 24. Exemplo nobis præterea est locus *Pauli Hebr.* 6. *vers.* 16. *Homines quidem per eum jurant, qui sit major; atque iisdem omnis controversiæ terminus est jusjurandum ad confirmationem adhibitum.* Denique ipse Apostolus Paulus, quem jurasse negari non potest *ad Rom.* 1. *vers.* 9. Plura hic referre exempla haud necesse opinor, cum ex modo dictis, Christianis, necessitate id exigente, jurare non illicitum esse, satis superque appareat.

Caput Secundum.

JUrisjurandi, quod remedium expediendarum litium & partium controversias spectat, (de quo nos agemus) tres sunt species, quemadmodum hujus tituli inscriptio nos docet: est enim jusjurandum vel voluntarium, vel necessarium, vel judiciale. Nec obstat, quod in *l. maximum i. D. h. t.* Gajus JCtus jusjurandum litis decisorium duplex solummodo proponat, nempe conventionale vel judiciale, cum sæpissime eveniat, ut tertia species ab Auctoribus omittatur, non quod eam negent; sed quod, prout naturam hujus aut illius induat appellationem ejus sequantur. *Vid. Clar. D. Noodt probab. jur. Civ. Lib.* 1. *C.* 12. Voluntarium itaque est, quod alter litigatorum alteri defert in judicio vel extra judicium: appellatur quippe voluntarium, quod totum ex arbitrio & voluntate partium pendeat, utrum ab initio deferre, eique, cui defertur, in judicio referre *l. jusjurandum & ad pecun.* 34. §. 7. vel

vel extra judicium non ſuſcipere velit. *l. maximum* 1, *D. h. t. Donel. de jurejur. Cap.* 10. Si vero ſemel ex conventione ſuſceptum ſit, omnino præſtandum eſt *l. jusjurandum quod* 17. *D. h. t.* ut enim ante contractum unicuique liberum eſt; conditionem accipere, vel non accipere, ſic etiam conditione ſemel approbata & ſuſcepta, ab ea, invito adverſario recedere nemini licet *l. Sicut.* 12. *C. de Act. empt. & vend.* & quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt *L. Pomponius* 9. *D. de Negot. geſt.* Hoc jusjurandum actor, licet ipſe nihil probaverit, reo deferre poteſt ad hoc, ut juret vel referat, ut ſic ab adverſario veritatem extorqueat, qui alioquin, actore non probante abſolveretur *l. Accuſare C. de edendo.* & ſi hoc ſine juſta excuſationis cauſa reus facere recuſat, pro confeſſo habetur. *L. cum de indebito* 25. §. 3. *D. de probat. l. ait Prætor* 7. *l. jusjurandum & ad* 34. §. 6. *D. h. t. l. delata* 9. *C. de Reb. Cred. Cujac.* 22. *Obſervat.* 28. æquiſſimam enim conditionem proponit, qui alium cauſæ ſuæ teſtem & judicem facit, quam conditionem ſine manifeſta calumnia repudiare non poteſt *l. Manifeſtæ* 38. *D. h. t.* Regulariter datur reo jusjurandum ea conditione ut juret vel referat *Cujac. lib.* 1. *Feud. Tit.* 28.

Neceſſarium præterea eſt, quod pars, cui delatum eſt, refert delatori: vocatur autem Neceſſarium, quod non dependet à libera ejus voluntate utrum velit ſuſcipere nec ne, ſed neceſſe habet hoc, quod illi refertur, præſtare *d. l.* 38. Rationi enim conveniens eſt, quod alteri iniquam conditionem inferre nemo debeat, & in perſona ſua declinare, quod in altero æquum judicavit *l. Generaliter* 12. *C. de reb. Cred.* §. 1. & 3. debet itaque jurare is, cui refertur, & ſi nolit, Prætor ei denegat actionem *l. jusjurandum & ad* 34. §. 7. *D. h. t.* interdum tamen is, cui refertur, præſtare non cogitur, veluti ſi ex conventione extra judicium ſit delatum *l. jusjurandum quod* 17. *D. h. t.* ut nec in actione rerum amotarum *l. Marcellus* 11. §. 3. *l.* 12. 13. *D. rer. amotar.*

Judiciale denique eſt, quod à judice defertur. Defertur autem in cauſis dubiis & inopiâ probationum *l. admonendi* 31. *D. h. t. l. in bonæ fidei* 3. *C. de reb. cred.* ſed

ſed, quo ſenſu hæc verba *in Cauſis dubiis & inopiâ probationum* ſint accipienda, diverſæ ſunt D. D. ſententiæ & opiniones: quidam cauſam eſſe dubiam & inopiâ probationum laborare ajunt, cum levior quædam ſit conjectura, vel ubi actor intentionem ſuam per unum teſtem probaverit; Alii vero tunc demum dici, cum propter ancipitem cauſam & copiam paritatemque probationum ab utraque parte judici (inſpectis rerum & perſonarum circumſtantiis) non liquet in quam partem inclinare debeat, quæ poſterior ſententia majori fundamento niti videtur, cum eodem ſenſu Terentius utatur Cæna dubia *Phorm. act.* 2. *ſc.* 2. *Cœna dubia apponitur. Get. quid iſtuc verbi eſt? Th. ubi ut dubites, quid ſumas potiſſimum.* ſimiliter *Horat. Sermon. Sat.* 2.

Vides ut pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia.

Præterea probatio unius teſtis nullius eſt momenti *l. maritus* 20. *D. de quæſtion. l. jurisjurandi relig.* 9. §. 1. *C. de teſtibus vid. Virum Clar. Noodt probab. Jur. Civ. Lib.* 3. *C.* 6. §. 2. 3.

Hiſce poſitis videamus, Cui ex litigatoribus hoc juramentum judiciale ſit deferendum? ſunt enim qui actori deferendum putant moti verbis *l. in bonæ fidei* 3. *C. de reb. cred. ex probationis inopia jure jurando cauſam decidi*; ex quibus argumentantur, quod ſi actor habeat ſemiplenam probationem contra reum tum hoc, quod probationi deeſt, juramento per ipſum ſuppleri; alii vero reo eſſe deferendum contendunt quia favorabiliores rei quam actores habentur *l. favorabiliores* 125. *de reg. jur.* & conſtat reo fuiſſe delatum juramentum, *ex l. admonendi* 31. *D. h. t.* ſed dicemus potius, id omne eſſe poſitum in arbitrio judicis, qui, inſpectis rerum & perſonarum circumſtantiis, vel actori ad cauſæ victoriam, vel reo ad ſui purgationem jusjurandum defert, quod neceſſario præſtare debet is, cui defertur, ſive ſit actor ſive reus, niſi, omni provocationis auxilio deſtitutus, cauſa cadere velit *l. Generaliter* 12. §. 1. *C. de reb. cred. vid. & Perez. in Cod. lib.* 4. *Tit.* 1. *num.* 23.

Caput Tertium.

DIximus in præcedenti capite, regulariter reo imponi necessitatem præstandi vel referendi juramentum; sed licet hoc regulariter ita obtineat, non desunt tamen casus, in quibus reus prorsus non potest cogi, ut juret vel referat, si nempe justas & probabiles non recipiendi causas habeat; quia vel non rite illatum est *d. l.* 12. *l.* 2. *C. de reb. Cred.* vel reus causæ suæ veritatem idoneis testibus & instrumentis probare potest. *Wesenb. in Parat. de jurej. num.* 9. sic etiam heres de contractu defuncti jurare non compellitur; quoniam contractum ignorare potest. *Paul. lib.* 2: *sent. Tit.* 1. Uti nec reus si actor prius de calumnia non juraverit *l. jusjurandum & ad* 34. §. 4. *D. h. t. l. quæstionem. ult. de fideicom.* Jurare autem in principio litis uterque tam actor quam reus tenetur, actor se non calumniandi animo, sed bona conscientia & juris fiducia fretum causam agere; reus vero se bona instantiâ uti & non calumniæ causa ad inficias ire *l. inter coheredes* 34. §. 4. *D. famil. ercisc. l. Cum & judices* 2. *C. de jurej. pp. calumn. dando.* Quod juramentum exigitur ab omnibus, qui judicio experiuntur in tantum, ut ne quidem per conventionem remitti possit; utpote inductum ad publicam utilitatem: *l. Cum judices* 2. §. 4. *de jurej. &c.* §. 1. *Inst. de pœna temere litigant.* quod enim publicæ utilitatis gratia introductum est, id privatorum pactis mutari nequit *l. jus publicum D. de pactis*; sed licet expresse remitti nequit, tacite tamen (cum scilicet demum sit præstandum si exigatur) quin fieri hoc possit non dubito *l. de pupillo* 5. §. 14. *D. de oper. nov. nunciat. l. jusjurandum & ad* 34. §. 4. *D. h. t.* nec ullam difficultatem movet *d. l.* 2. §. 4. quia in illa lege expresse remitti jusjurandum vetatur: possunt enim fieri quædam tacite, quæ expresse facere nulli licet. Argumento sunt *l. si unus* 27. *D. de pactis. l. actus* 77. *l. expressa* 155. *D. de R. J. l. non nunquam* 52. *D. de Condit. & Demonst.*

Diximus, quod omnes præstare teneantur jusjurandum calumniæ; excipiuntur attamen parentes & patroni, qui ob honorem & reverentiam, quam ipsis debent liberi ac liberti, in

Ca-

calumniæ suspicionem vocari non possunt *l. de die* 8. §. 5. *qui satisd. cogun. l. si patronus* 16. *D. h. t. l. licet* 7. §. 3: & 4. *D. de obseq. patr. &c.* nec obstat quod in *l. jusjurandum & ad* 34. §. 4. *neque patrono neque parentibus remitti* dicatur, cum certum sit, hanc legem menda laborare, & legendum esse (ut habet vetus editio anni 1529) *æque patrono atque parentibus* vid. *Bacchov. ad Treutl. vol.* 1. *disput.* 21. *th.* 5. ratio insuper adduci posset, quod in *d. l.* 16. *D. h. t.* quæ etiam Ulpiani est, contrarium statuatur, his verbis. *sed si ipse* (sc: patronus) *deferat jusjurandum liberta sua, de calumnia non debet jurare:* & verisimile non sit, Ulpianum sibi ipsi contradicturum: his accedunt *l. qui bona* 13. §. 14. *D. de damno infecto & Cujac. observat.* 9. *C.* 37.

Caput Quartum.

EX supra dictis satis liquet jusjurandum judiciale non nisi à solo Judice deferri. Videamus porro quinam voluntarium deferre possunt, & placet omnes posse, qui non prohibentur; ut sunt Domini liberum suarum rerum habentes arbitrium *l. jusjurandum quod* 17. §. 1. *D. h. t.* item ii, quibus aliarum rerum administratio est demandata, & qui Jure Civili pro Dominis habentur, ut Tutores & Curatores pupillorum, minorum furiosorumque, si aliis probationibus destituantur *l. tutor.* 35. §. 1. *D. h. t.* etiam Procuratores, si universorum bonorum habeant administrationem, aut id ipsum nominatim iis mandatum sit *d. l.* 17. §. *ult. l.* 18. 19. *D. eod. l. rescriptum* 10. §. *ult. & seqq. ll. D: de pactis.* sed sciendum est hoc tantum procedere, si sit controversia de iis rebus, quæ sine decreto alienari possunt; verum, si de rebus sit lis, in quibus decreto Prætoris opus est, non aliter deferre possunt, quam impetrato prius decreto Prætoris *l. non solum* 4. *C. de præd. & aliis reb.* deferre quoque potest Defensor municipum, vel cujusvis corporis, si super hoc mandatum habet *l. jusjurandum & ad* 34. §. 1. *D. h: t.* Nec non filiif. & servi, qui jurejurando peculio tenus patri ac domino nocere atque prodesse possunt, si peculii ha-

 beant

beant administrationem *l. quod servus* 20. 21. 22. *D. eod.* si autem peculii administratione careant, in præjudicium patris vel domini deferre nequeant *l. depositi* 5. §. 2. *D. de pecul.*

Diximus deferre posse omnes, qui non prohibentur. Prohibentur autem quidam naturâ, ut infantes, qui propter teneram ætatem nec loquendi nec consentiendi facultatem habent §. 16. *Inst. de inutil. Stip. l. Mulier.* 70. *D. de verb. Obligat. l. huic* 1. §. 13. *D. de Oblig. & Act.* quidam propter animi vitium, ut sunt furiosi, qui externa mentis rabie agitantur, hi tamen illo tempore, quo dilucida habent intervalla, deferre possunt *d. l.* 1. §. 12. *l. in negotiis* 5. *D. de R. J.* quidam etiam lege, ut prodigi, sed tum demum, si publice ipsis bonorum administratio sit interdicta *d. l.* 35. §. 1. nec non is, qui post elapsum biennium exceptionem non numeratæ pecuniæ opponere non potest *l. in contractibus* 14. §. 3. *C. de except. non num. pecun.* præterea debitores in fraudem creditorum *l. nam postquam* 9. §. 5. *D. h. t.* annumeratur quoque illis, qui Jusjurandum deferre nequeunt, coheres aliis coheredibus invitis aut ignorantibus, nec si velit cavere de rato. *vid. Cod. Fabrian. lib.* 4. *Tit.* 1. *defin.* 21. insuper pupillus sine tutoris auctoritate, quia jus res suas administrandi ipsi non competit *d. l.* 17. §. 2. *D. h. t. l. jusjurandum vocem.* 1. §. 1. *quar. rer. act. non datur.* Denique ob eandem rationem minor Curatorem habens *l. si Curatorem* 3. *C. de in integr. restitut.*

Caput quintum.

Videamus nunc præterea quibus defertur juramentum. Defertur autem indistincte omnibus cujuscunque etiam sint sexus, ætatis, aut conditionis *l. qui jurasse* 26. *l. sed & si* 25. *D. h. t.* etiam pupillis, filiisf. servis, heredibus, procuratoribus ac defensoribus ad eum effectum, ut ratum firmumque sit futurum, quod pupillus, filiusf. servus, procurator aut defensor juravit, & actio inde vel exceptio pupillo, patri, vel domino competat *l. nam postquam* 9. §. 6. *l. si servus* 23. *& seqq. ll. l. Creditore ult.* §. 2. *D. h. t.* Cum jusjurandum omni modo

modo servari oporteat adversus eum, qui, cum deferret, contentus eo fuit *d. l. 26. pr.* volenti enim nulla fit injuria *l. in diem 9. §. 1. D. de aqua pluvia arc.* sed licet volentes præstare possint, minime tamen ad suscipiendum cogi possunt, quoniam de alieno facto, ad jurandum cogi perquam injustum atque iniquum est, cum fieri possit, ut rei veritatem ignorent: jurare enim scientem oportet *l. jusjurandum & ad 34. §. 1. & 3. D. h. t. l. Marcellus 11. §. 2. D. rer. amot. Paul. lib. 2. Sent. Tit. 1.* quod si adversarius non procuratori, sed domino deferat jusjurandum, ipse dominus præstare tenetur, si adversarius non vult stare procuratoris jurejurando *l. generaliter 12. §. 4. C. de Nox. Act.* quoniam eo plane modo, quo defertur, præstari jusjurandum debet *l. ait prætor 3. §. ult. cum seqq. ll. D. h. t.*

Habet hæc jurisjurandi delatio locum in omnibus causis civilibus, de quibus pacisci licet *l. jurisgentium 7. §. 14. D. de pactis.* sive in personam, sive in rem, sive in factum, sive pœnali, nec non si de conditione personæ fuerit juratum. V. G. delatum est tibi jusjurandum, & jurasti *te non esse in potestate mea. l. ait prætor 3. §. 1. & 2. D. h. t.* item in populari, si non per collusionem, sed bona fide exactum sit *l. eum, qui. 30. §. 3. eod.* præterea etiam in matrimonialibus, sed tantum *si pro* non autem *contra* matrimonium juratur, quia matrimonii ineundi causa favorabilis est, dissolvendi vero odiosa. *Vid. Treut. vol. 1. Disput. 7. th. 4.* Tandem quoque in quæstione an prægnans sit mulier vel non sit: ad hoc, ut, si se prægnantem ex marito juraverit, sibi bonorum possessio ex Carboniano Edicto detur, vel, si adversarius contra juraverit, denegetur *l. cum mulier 10. D. de Carbon. Edict. d. l. 3. §. 3. D. h t.* in criminalibus verò locum non invenit, quia desiderantur probationes luce meridiana clariores *l. sciant ult. C. de probat.* ex suspicionibus autem nemo est damnandus *l. absentem. 5. D. de pœnis*; sed necesse est, ut quis confessus sit, vel prorsus convictus antequam condemnari potest *l. qui sententiam 16. C. eod.* cum reus præsumatur pejeraturus pœnæ metu, item accusator, ne incidat in pœnam calumniæ & talionis; melius itaque est nocentis impunitum relinquere facinus, quam innocentem damnare, ut Divus Trajanus Assiduo Severo rescripsit

in *d. l. absentem* 5. Hæc ita se habent, si criminaliter ad vindictam publicam agatur; si vero ad utilitatem privatam, tunc jusjurandum locum habere dicendum est, idque colligitur ex verbo *actionis* quod ad civiles non ad criminales causas refertur: quando enim criminaliter agitur, dicitur potius *accusatio. Vid. Fachin. Controv. jur.* 1. *lib. cap.* 16. *& Treutl. vol.* 1. *Disput.* 21. *th.* 10.

Caput Sextum.

Effectus jurisjurandi præstiti est, ut lites quasi ex pacto ipsorum contrahentium decidat, & ad similitudinem judicati actori juranti competat actio in factum ad consequendum id, quod ipse sibi deberi juravit *l. jusjurandum vicem* 1. *pr. D. quar. rer. act. non datur l. Actori* 8. *C. de reb. cred.* ita ut jam, remissa quæstione, an debeatur, hoc unum inquiratur, an & quatenus juratum sit §. *item si quis Inst. de Action.* sic ut nec appellandi facultas supersit *l. generaliter* 12. *C. de reb. cred.* nec perjurii prætextu rescindatur, nisi specialiter hoc lege excipiatur *l. Causa* 1. *C. eod.* nec propter instrumenta noviter reperta *l. admonendi* 31. *D, h. t.* quia speciem transactionis continet: quod enim semel mutua conventione transactum & sopitum est, id sub prætextu instrumentorum post repertorum retractari non debet *l. sub pretextu* 19. 29. *C. de transact.* non tamen omnia, quæ in transactione, etiam in juramento locum habent: nam transigentem in actione famosa infamia sequitur, non vero jurantem, quia jurans præstando jusjurandum innocentiam suam quodammodo adprobat *l. furti* 6. §. 4. *D. de his qui not. infam.* hæc ita in voluntario ac necessario obtinent; in judiciali autem, cum non contineat speciem transactionis, aliud juris est *l. admonendi* 31. *D. h. t.*

Ut autem actori, qui, rem suam esse, vel dari sibi oportere, juravit, datur actio in factum; sic etiam reo jurato, se nihil dare, facere oportere, vel rem petitoris non esse, competit exceptio *l. nam postquam* 9. §. 1. *l. qui jurasse* 26. §. 1. *l. jusjurandum à debitore* 40. *D. h. t.* præterea etiam heredibus sive in rem sive in personam sit exceptio *l. ait Pretor* 7. *&* 8. *D. eod.*

eod. liberantur insuper fidejussores *l. in duobus* 28. §. 1. *D. h. t.* quia jusjurandum continet speciem solutionis *l. jusjurandum etiam* 27. *l. tutor.* 35. §. 1. *D. h. t.* si nempe causæ & personæ cohæreat, non autem si tantum personæ: V. G. fidejussori proderit jusjurandum si de contractu; si vero de persona sit juratum, secus est *l. creditore ult. D. eod.* denique in omnes, ad quos aliquod emolumentum ex jurejurando redit, actionem Prætor denegat *l. ait Prætor.* 7. *D. h. t.*

Ut igitur jusjurandum sortiatur effectum, necesse est, ut prius facta sit delatio (i. e. formula præscripta, secundum quam jurare debet is, cui ab adversario defertur) alioquin facillimus quisque, ad jusjurandum decurrens, actionum oneribus se liberaret *l. ait Prætor* 3. *D. h. t.* neque delatum sufficit, sed oportet quoque, ut præstitum sit. uti in formula præscriptum ac delatum est, aliter juratum esse non videtur *d, l.* 3. §. *ult. l. qui per.* 33. *eod.* præterea etiam eo tempore quo delatum est; nam si postea jurare paratus sit, nihil ei proderit jusjurandum *l. non erit* 5. §. *ult. l.* 6. *D. h. t.*

Caput Septimum.

TAndem coronidis loco videamus, an aliqua perjurii pœna Jure Civili sit constituta? sed ut hoc melius innotescat, videamus prius de ritibus formulisque, quas diversas fuisse apud Romanos apparet ex rerum antiquarum scriptoribus; jurabant autem vel directo per Deum, ut patet ex *Dion. Halic. lib.* 6. *p.* 406. *Jurejurando Diis testibus ineuntur pacta, quæ multas privatorum simultates finiverunt.* vel ex solenni Romanorum formula, cujus hæc erant verba: *si sciens fallam, ita me Diespiter, salva urbe, arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem.* tunc jurans, sibi male precabatur si sciens falleret, silicem manu tenens, quem postea, qua poterat vi, projiciebat. *Cic. lib.* 3, *Offic. Cujac. Observ. lib.* 3. *Cap.* 21. etiam ex formula, qua utebantur, qui Aram tangentes jurabant apud *Virg. Æneid.* 12. *v.* 200.

Audiat hæc genitor, qui federa fulmine sancit:
Tango Aras, mediosque ignes, & Numina testor.

 Dice-

Dicebatur autem hoc apud Gentiles jusjurandum corporaliter præstitum; sed postea Principes Christianam religionem amplectentes, loco hujus ritus alium ritum receperunt, qui fiebat tactis Sacro-sanctis Euangeliis *Nov.* 124. *Cap.* 1. *l. rem non novam* 14. §. 1. *C. de judic.*

Vel jurabant indirecto veluti per Genium, per Salutem, perque venerationem Principis. *l. si duo* 13. §. *ult. D. h. t. l. jurisjurandi* 2. *C. de Reb. Cred.* vel ut superstites filios relinquerent, jurabant patres *Terent. Heaut. Act.* 5. *sc.* 4. jurabant quoque Romani per oculos suos *Plaut. Menæch.* 5. 9. 1. *Ovid.* 3. *Amor.* 2. nonnunquam per caput suum vel alterius *Virg. Æneid.* 9. *vers.* 300. & *Ovid. Trist. lib.* 5, *Eleg.* 8. quidam etiam per suam suorumque filiorum salutem *l. qui per salutem* 33. *D. h. t.* Sic varios ritus variasque diversis temporibus formulas habuisse Romanos docet *Alex. ab Alex. Gen. Dier: lib.* 5. *cap.* 10. plura *Vid. apud Brisson. de formul. lib.* 8.

Restat jam ut videamus an & quomodo perjurium Jure Civili puniatur, sunt qui negant ullam ipsis imminere pœnam, sunt qui perjuros esse puniendos statuunt; sed puto distinguendum utrum per Principem an per Deum pejeretur; si per Principem perjurium committat quis, is fustibus est castigandus secundum *l. si duo* 13. §. *ult. D. h. t.* si hoc fraudandi causa animo deliberato, non si sine alterius incommodo calore quodam faciat *l. jurisjurandi* 2. *C. de reb. Cred.* quod si per Deum pejeretur, Deus ipse ultor relinquitur; nec præter hanc ulla alia pœna civili punitur pejerans: argumento est *d. l.* 2. in qua Alexander Imperator dicit: jurisjurandi contemptam religionem *satis* Deum ultorem habere; huic accedit illud Tiberii, qui, accusato quodam, quod nomen Augusti perjurio violasset, rescripsit, perinde habendum esse ac si Jovem fefellisset. Deorum injurias Diis esse curæ: apud *Tacit. Annal.* 1. *C.* 73. Vid. & *Fachin. Controv. jur. lib.* 1. *C.* 14. *Cujac. Observat.* 2. *c.* 19. Cæterum moribus hodiernis, pro qualitate circumstantiarum perjurii, perjuros à Magistratibus Christianis puniri certum est Vid. *Groen. de leg. Abrog. ad l.* 2. *C. de reb. cred. & jurej.*

F I N I S.